

4579.

No. 20.

1672, 12

14

DEO & Superioribus allu-  
bescentibus,

De

EMPTIONE

ET

VENDITIONE

FEUDI,

PRÆSIDE

Magnifico Academiae Rectore

DN. D. PAULO FRANCISCO

ROMANO,

P.P. & Facultatis Juridicae Assessore,

*Solemniter respondebit*

CAROLUS FRIDERICUS von Beust/

Eqv. Thur.

Autor.

*d. XXIV. Januar. A. O. R. M DC LXXII.*

L I P S I Æ

Literis JOHANNIS GEORGI



Deo & Superioribus illu-

brantibus

EMPTIO

ET

VENDTIO

FEUDI

PARTE

Magnifico Academiarum Rectore

DN. D. PAULO FRANCISCO

ROMANO

R. P. & Facultatis Juridicae Professor

Universitatis

CAROLIS FRIDERICUS von Benth

Edv. Thur.

Autor.

4. XXIX. Januar. A. O. R. M. DC. LXXVI.

L. P. 21. 2

Licentia Johannis Grotii



Serenissimo ac Celsissimo Princi-  
pi ac DOMINO

DN. FRIDERICO  
VVILHELMO,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac  
Montium, Landgraviae Thuringiae, Marchioni Misniae,  
Principi Comitatus Hennebergici, Comiti de Marca & Ravens-  
berg, Dynastae in Ravenstein, Domino meo  
clementissimo,

Disputationem hanc juridicam

Humillime & ex debito offert ac  
consecrando inscribit vasa-  
lus ejus perpetuo fidelis.

Autor & Resp.

# Illustrissime atque Celsissime


Princeps,

**Q**Vod Tuum Nomen ILLUSTRISIME, AC  
CELSISIME PRINCEPS hisce pagellis præfixerim, est  
quod veniam subjectissimè petam. Facile enim largior, fo-  
re, qui pudorem mihi mutuam sumendum iudicabunt, quod levidense  
hoc Tibi, CLEMENTISIME PRINCEPS assignaverim scriptum,  
cum MAGNIS quoque deceant magna. Verum enim vero hoc ipsos,  
si causam finemque perceperint meum, aliter iudicatos, certissime  
puto. Nam quod TUO SERENISSIMO utar NOMINE,  
factum est, ut eo melius meum thema, quæ valeat etiam, à calumniantib.  
liberem, & forsitan hoc non injustè consecro, quia lex fidelitatis jam  
diu, ut gratitudinis aram struerem, iusserat, si libamen ad manus fuis-  
set: Cum verò jam ansam nanciscar præsentem, eam omittere nolui,  
sed disputationem meam, etsi Levisimam, ceu sacrificium ad V E-  
STRÆ SERENITATIS GRATIAM, quæ mihi stet loco  
aræ, offerre omni submissionis cultu rogans, velit suum Clientem &  
vasallum ulteriori favore gratiæque Serenâ prosequi, qui VESTRÆ  
SERENITATI vitam longævam, salutem publicam, tranquillitatem  
diurnam vovet optatque, ut Directore J E H O V A omnia quam feli-  
cissime dirigat, ut salutaria Consilia videat DEUS, subditus & Pro-  
ximus. Dabantur Lipsiæ, die XXIV. Jan. Anno M DC LXXII.

VESTRÆ SERENITATIS

*Devotissimus & Subjectissimus  
Cliens & Vasallus*

CAROL. FRIEDERICUS von Beust/  
Eq. Thur.



B. C. D.

§. I.



**D**E Emtione & Ven-  
ditiōe Feudorum pauca  
verba in vicem Disputatiōis Aca-  
demicae facturus, non laborabo in  
definitōe nominis primum evol-  
venda, cū, qvid de eā tenendum  
sit, unicuiq; ex facili constet. Sed  
mentem potius ad ipsam rem statim dirigo.

§. II.

Emtio - Venditio Feudi est contractus, qvō, interve-  
niente Domini atq; investorum consensu, feudum pro  
certo pretio datur, venditorq; ad ejus traditionem atqve  
evictionem, emtor verò ad pretium dandum obligatur.  
Dixi, qvōd cōsensus domini intervenire debeat, propterea,  
qvia alienatio à jure domini directi dependet, vid. Dn.  
Struv. *Syntag. jur. Feud. c. 2. n. 4.* Unde infra circa formam  
eum de essentiā alienationis esse, pluribus demonstrabi-  
mus. Investorum verò approbatione ideò est opus, qviam  
hæc venditio in ipsorum fit præjudicium. Nemo autem  
facto suò tertiis præjudicare potest.

A 2

§. III.

§. III.

Sicuti autem Emtio - venditio in genere vel purè, vel in diem, vel sub conditione fieri potest; ita quoque iisdem modis feudum rectè venditur. Atque ibi quidem statim illud ad emptorem transit; hic die vel conditione demum præsentè. Ubi quæritur, quonam venditio feudi sub pacto additionis in diem contracta, (quo meliore conditione intra certum tempus allatâ, à venditione recedere licet. vid. Anton. Augustin, *lib. 2. Emend. cap. 3.*) referri debeat? Respondeo: emtio quidem tum sub conditione contracta putatur, sed ea modo est propria & suspensiva, modo tantum resolutive. Interdum enim contingit, ut venditione revera sub conditione contracta hoc agatur, ut, nisi melior conditio offeratur, ea perficiatur. Contra interdum verè illa & purè contrahitur, & pacto adjecto hoc tantum agitur, ut, meliore conditione intra certum tempus allatâ, ab eâ recedatur, vid. *l. 2. ff. de in diem addict.* Porro quæsitum est, an hæc nostra venditio sub lege commissoria quoque contrahi possit, & cujusmodi tum sit? Equidem recordor Bocerum *D. 5. d. 16. th. 4. lit. b.* hoc negare; sed cum nullibi ejus opinio fundata sit, nihil obstat, quò minus jus commune hac in parte ad forum feudale quoque pertrahamus. Certe citatus à Bocero textus, *in c. un. 2. F. 27.* nihil minus, quam sententiam ejus, probat, sed tantum venditio feudi, sine Domini & agnatorum consensu inita, ibi improbatur. Potest itaque feudum hoc pacto vendi, ut, nisi intra certum tempus pretium pro eo promissum solvatur, inemptum sit, *2. F. 12. & c. 1. F. 24.* eaque venditio pro pura habenda est, add. *l. 1. ff. de L. Commiss.* Franzk, *in Comm. ad ff. tit. de Leg. Commiss.* & Ludvv. *ad jus feud. tit. de divis. feud. cap. 1. §. 15.*

§. IV.

Causa efficiens remota nostri contractus illæ gentes sunt,



sunt, quæ feuda primum receperunt, & jus commercii in illis possessoribus largitæ sunt. Putantur vulgò Longobardi fuisse, vocemq; feudi barbaram ab antiquò Saxonico vocabulo *Fōden*/quod nutrire significat, deduxisse, uti quidem visum est Beato Abavo meo, Joachimo à *Beust* in *l. admonend. 31. ff. de jurejur. n. 874.* quavis illud quàm plurimi adhuc in dubium vocent. Add. Dn. Struv. in *Syntagn. jur. feud. cap. 1.* Proxima causa est consensus contrahentium. Iste a. partim emptorem, partim venditorem respicit, debetq; tum in certam personam, tum in certam rem feudalem, tum causam obligandi directus esse. Si in uno horum erratur, emptio non subsistit. Quod in errore circa personam in tantum verum est, ut si in sola ejus qualitate erratum sit, emptio reputetur nulla, *l. 2. pr. ff. de judic. §. 1. 2. §. 16. ff. pro empt.* Circa errorem in re quoad emptorem in genere atq; etiam nostram, distinguunt, an sit nominis tantum, an ipsius rei: Is venditioni impedimento non est, *l. 9. §. 1. ff. de contrah. empt.* Hic vel totalis est, & nocet, v. g. puto, me emere feudum Germanicum, & venditur Italicum, *l. 9. pr. d. t.* vel tantum partialis, & quidem rursus vel circa partem substantialem, de quâ idem esto judicium, vel tantum accidentalem, ubi secus est, *l. 9. §. 2. l. 14. §. 1. 34. ff. cod. add. Mudæus ad d. l. 9. n. fin.* Deniq; error in causa contractus admittitur, si ego me emere rem, tu vero tantum conduci eam existimes, & quoq; venditionem nullam efficit, *l. 9. b.* Sicuti enim, si ego rem qd. mutuam accipiam, tu quasi donaturus tradas, conventio nulla est, nec dominium transire potest, *l. 18. ff. de reb. cred.* sic nec emptio contrahi potest, nisi animus utrinque consentiat in certum acquirendi modum, *l. 15. ff. de O. & A.* Vid. Hillig. ad Donell, *lib. 4. Comm. cap. 18. lit. S.*

§. V.

Porro prout alias, ita quoq; in venditione feudi, consensus

A 3

ensus

sensus præsens esse debet, ut in futurum non differatur.  
Add. *MOZZ. de Contract. sub rubr. de substant. vendit. num. 46.*  
Etiam oportet, ut sit liber, quia nemo ad feudum vel aliam  
rem vendendam cogitur, *l. 11. 13. & 14. C. de contrah. emt.* Hinc  
venditio dolo præsertim causam dante (de quò vid. *l. 7. in  
pr. ff. de dol. mal.*) contracta, est ipso jure nulla. Habet e-  
nim consensus duo principia, cognitionem atq; appeti-  
tum, ac sicuti illi error obstat, ac contractui nocet, ita huic  
dolus. Add. *Dn. Strauch. Dissert. undetr. 15. §. 9.*

§. VI.

Persona, ad hunc contractum admittenda, interdum  
ipse Dominus, præcipuè tamen Vasallus esse potest. Eum  
vulgò definiunt personam, quæ Domino per juramentum  
fidem suam obstrinxit. *c. un. 2. F. 47.* Debent autem illi  
eadem requisita, quæ alii emtori & venditori adesse, ut v. g.  
habeat liberam suarum rerum administrationem, sitq; eâ  
ætate & judicio, ut talem contractum domini translati-  
vum celebrare possit, de quò plura ap. *B. Eckold. in Syn-  
tag. l. 18. tit. 1. §. 3.*

§. VII.

Illud verò quæsitum est, si pater filium habeat, eoqve  
in scio feudum vendat, sed volente domino, num filius  
contractum à patre initum, rescindere, feudumq; revocare  
possit? Tenemus quidem, quosdam sententiam affirma-  
tivam secutos esse; sed contraria verior est, præsertim Jure  
Saxon. (1.) quia jus filii à jure patris dependet, illiq;  
in re sua arbitrium relinqui debet. Hinc omninò factò  
suo illi præjudicare potest. (2.) Quia, si hæc facultas  
filiis relinqueretur, feuda iis invitis à patribus alienari non  
possent, & sic quodammodo commercio eximerentur.  
(3.) Quia expressa jurium nostrorum placita huc facere  
viden-

videntur in *Ord. Torgav. de anno 1583. §.* Diemeil aber dieses/ daß ein Sohn seines Vaters Contract und Handlung/ & §. *Sezen ordnen/ ibi: Oder in Verkaufung und Veränderung desselben bewilliget/ daß in unsern Ländern den Söhnen dasselbe/ do es gleich ein alt Väterlich NB. Stammgut wäre / zu revociren oder zu fechten nicht verstattet noch nachgelassen werde.* Unde hanc sententiam Scabini quoque nostri secuti sunt apud Carpzov. *p. 2. C. 48. D. 9.* Planè idem quoque eò casu procedit, quando filii tempore contractus adhuc sunt minores, & majores facti rem feudalem repetere, imò & pretium pro ea datum reddere volunt. *Idem d. l. D. 12. & Const. 49. Def. 4.* Quia ejusmodi Liberorum ausus reverentiam patribus debitam violaret. Huc facit *Decis. noviss. 78. ibi: Und wie man solche über angeführte Ursachen der Kindlichen Reverenz gegen die Eltern gemässer achtet/ so lassen wir es bey dieser letzten Meinung verbleiben/ und wollen/ daß auch solchen Falls die Kinder der Eltern Consens zu agnosciren und zu bezahlen schuldig seyn/ &c.* Sicuti enim commoda, ita quoque onera liberi à patribus æquo animo ferre debent, Carpzov. *P. 2. D. 169. n. 14. 15. & 19.* Neque interest, an filius fuerit heres factus patris, an v. hereditatem patris repudiaverit. Ita enim M. Jan. Anno 1667. à Scabin. Lips. responsum fuit. Darwieder dann nichts thut/ daß derselbe seinen Herrn Vater weder in feudo, noch allodio succediret, in dem die Söhne bewehrter Rechte Lehrer Meinung nach nichts desto weniger/ so wohl die vom Vater beschehene Bereussierung/ als auch verwilligte Verpfändung zu agnosciren schuldig/ und solches zu hinterziehen nicht berechtiget sind/ so mögen sich auch N. N. der gesuchten Zahlung derer auff die Güter N. mit Consens ihres Herrn  
Groß:

Großvaters und andern Herren Agnaten versicherten  
Schulden mit Bestande Rechts nicht entbrechen/V.  
R. W. Vid. Dn. Philipp. ad d. Dec. Obs. 2. Limitatur  
tamen hæc sententia, quando filiis æq; ac principaliter sive  
contemplatione illorum, (quod quandoq; conjecturis et-  
iam probari potest, uti Berlich. author est p. 2. Con. 57. n. 37.  
*Comp. med. et.* & seqq.) feudū concessum est, sicut disertè testatur Const. Elect. 4.  
illarum, quæ ob nobilium petitionem promulgatæ non  
fuerunt. §. Also auch. 61. Es wäre denn solches neues Leh-  
hen nicht dem Vater/sondern auch dem Sohne durch den  
Lehn Herrn verliehen/also daß des Sohns Nahmen spe-  
cificè in dem Lehnbrieff ausgedrucket / oder daß es dem  
Vater contemplatione filii und also wegen des Sohns  
wäre verliehen worden/darben wir es auch bleiben lassen.  
Aut, quando ob proprium filiorum factum feudum patri  
concessum, & simul eò consentiente à filiis acceptatum  
est, tunc enim iis jus quæsitum in eo auferri nequit. Andr.  
de Ifern. in l. 1. §. 1. *Et libellum de alienat. feud.* Cæterum  
extra Electoratum filii, qui non sunt patris heredes, Feu-  
dum benè revocare possunt, Carpz. P, 2. C. 48. D. 11. quan-  
quam eorum parens adhuc in vivis existat, modo refundant  
pretium, uti resp. Scabini Lips. Mens. Febr. Anno 1599.  
So wäre bemeldten Söhnen nach gemeinen Schluß des  
rer Rechtslehrer bey Absterben ihres Vaters solch Lehn-  
Guth mit Erstattung des Kauffgeldes wieder an sich zu  
lösen unbenommen.

§. VIII.

Objectum nostri Contractus est feudum. Cui qui-  
dem videtur hoc obstarè, quod feudum commercio exem-  
tum sit, adeoq; nec emi, nec vendi, possit. Est enim com-  
mercium emendi vendendiq; invicem jus, teste Ulpianò in  
*fragm.*

*fragm. tit. 19. §. 4.* Sed respondemus differentiam faciendo inter rem simpliciter commerciō humanō exemptam, quæ vendi nequit, & secundum quid tantum, quæ vendi potest. Quō & feudum spectat: Si enim in ejus alienationem dominus & simultaneè investiti consenserunt, venditio firma est. Huc quoq; pretium pertinet, quod justum esse ac conditioni rei respondere oportet. Quandoquidem autem proportio non semper undiquaq; æqualis esse potest, civilem tantum eam esse sufficit, i. e. talem, quæ nimis inæqualitatis sit expers. Unde pro loci qualitate aliquando res carius vel vilius, quam reverà valet, vendi emiq; potest, nec tamen exinde contractus fit irritus, quod naturaliter, i. e. vulgariter, licitum sit contrahentibus se invicem circumvenire, *l. 16. ff. de minor. l. 22. ff. locati.*

§. IX.

Porro oportet quoq; ut pretium sit certum & verum. §. 1. *Inst. de emt. & vend.* Certum, i. e. consistat in pecunia numerata, uti loquitur §. 2. *l. d. s.* Illud n. pretium certum emtionem - venditionem separat à permutatione, quâ tantum res pro re datur. Quamvis olim eâ de re controversia fuerit inter Sabinianos & Proculianos, quorum illi etiã pretium in aliis rebus, hi vero tantum in pecunia numerata consistere posse putabant, quam sententiam Diocletianus & Maxim. *in l. pen. C. de rer. permut.* & postmodum Sacratissimus Imperator noster in §. *alleg. 2.* receperunt, vid. & *l. 1. ff. de contr. emt.*

§. X.

Audivimus nunc emtionem venditionem consistere debere 1. in pretio justo, 2. in pretio certo. Ordo jam nobis imperat, ut de 3. quoq; pretii requisito agamus, nempe quod etiam verum esse debeat. Verum pretium autem

B voca-

vocatur, quando non simulatum est, ut e. gr. hanc pecuniam, quam in hac cistâ habeo, dabo tibi pro tuo feudo, cum tamen nulla insit: Tunc n. nulla quoq; est venditio, quia pretiû verum non est, sed saltem simulatum atq; imaginarium. Hinc & emtio venditio uno nummo celebrari nequit, quia unus nummus nullû verû feudi pretiû esse potest, prout sat luculêter hoc declarat Arum. *Diss. 13. §. 4.* & Dn. Strauch, *Diss. XV. §. 8. p. m. 246.* Non tamen pretium semper ipsò actu & totum solvi debet, sed sufficit, si venditor fidem emtoris propterea sequi velit. Nam & tunc emtio venditio perfecta est, & res fit emtoris, per *§. 24. J. de R. D.*

*§. XI.*  
Regulariter quidem aliàs in venditionib. solum ipsorum contrahentiû consensus spectatur, non verò aliorum, quib. fortè actio ex eò contractu acquiritur, *l. 12. ff. de cont. emt.* In hac nostra verò emtione venditione non solum consensus contrahentium, verum etiam domini infeudantis, atq; simultaneè investitorum opus est, & sine eò emtio venditio frustranea est atq; invalida, quia simultanee investiti feudum revocare possunt, cum mediante investiturâ simultaneâ, jus aliquod sibi in eò acquisiverint, ut plenissimè deducit Divus August. in Ord. Torg. *§. Und dieses alles.* ibi: *Und dieselbe ein ieder Mitbelehnter vor sich selbst suchen/ und also proprio facto erlangen muß / so mag ihm dis sein erlangtes Recht. NB. ohne seine Bewilligung eben so wenig/oder auch weniger mit Zug gezogen werden/c.* Agnatorum tamen consensus jure nostro non requiritur, nisi etiam præstito fidelitatis juramento investituram acquisiverint. Pari enim passu eâ in re cum extraneis ambulant, uti ex citato textu vers. *Sein erlangtes Recht/colliigi potest.* Secundum quam sententiam ita Scabin. Lips. *Mens. Febr. 1593. respond.* Diweil Sie aber dennoch die

die gesaimbte Hand mit wircklicher Leistung der Lehns-  
pflicht nicht erlanget/ so haben Sie auch das Lehnguth zu  
reuociren nicht Zug/te. Carpz. d. l. D. 8. C. 49. Cærerum si  
Vasallus, neglecto domini consensu, feudum vendit, non  
tantum contractus irritus est, sed & propterea feudo priva-  
tur, quia vendit & plenum rei dominiū non habet, Dn. Struv.  
*Syntagm. Jur. Feud. C. XII. §. 9.* Carpzov. *P. 2. C. 49. D. 4.*  
& agit in præjudicium domini, eumq; contemnere 2. *F. 24.*  
*in fin.* graviterq; in ipsum delinquere dicitur, Carol. à  
Kirchberg *de feud. de pact. & proced. & feudo heredit. c. 5. n. 114.*  
§. XII.

Concludimus igitur firmiter, quod consensus domi-  
ni necessarius sit ad feudi alienationem, quia penes il-  
lum directum ac potius est dominium, 2. *F. 52. & 55.* Et  
quidem rectè facit, sapienterq; sibi consulit venditor Va-  
sallus, si expressum consensum domini impetrat. Si verò  
Dominus feudi non contradicit venditioni, cum tamen  
eam sciat, ac contractui intersit, quæritur num consensisse  
existimandus sit. Putamus quod sic, *arg. d. 2. F. 52. & 55. ibi*  
*permissione* Curt. Jun. *part. 4. n. 137.* Schurff. *1. cons. 41. n. 3.*  
Notanter autem dixi sciat & simul intersit, quæ conjun-  
ctim, non vero disjunctim explicari debent, uti hoc svadet  
Mynsing. *4. Obs. 77. n. 3.* Qui vero non adhibet consensum  
Domini immediati, in alienatione statim jus suum ad a-  
gnatos devolvit, ut etiam filii feudo privari debeant,  
ut quidem putat Dn. Schultz. *in Synops. Jur. Feud. c. X. §. 99.*

§. XIII.

Non autem Simplex h. l. emtio & venditio, verum  
etiam ut res tradatur, requiritur. Alienatum enim pro-  
priè non dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet,  
etiamsi venditum rectè dicatur. *l. 67. ff. de V. S. & plus est*

B 2

alie-



alienare, quàm vendere. Qui enim vendidit, rei domi-  
nium indistinctè à se non abdicavit. Qui vero tradidit,  
omninò. Rosenthal, Q. IX. Concl. 12. n. 3. Dn. Struv. Syntag.  
Jur. Feud. c. XIII. §. 9. n. 6.

§. XIV.

Sed quid dicendum, si in feudi alienationem do-  
minus quidem consensit, non verò simultaneè investiti?  
Respondemus distingvendo, num Vasallus ejusque liberi  
adhuc superstites, num vero mortui fuerint. Illo casu  
agnatis jus revocandi nullum competit, adeoque hoc re-  
spectu alienatio, tanquam in eorum præjudicium non  
vergens, omninò subsistit. Nam investitura domini semper  
de ordine successionis & juxta jura etiã primogenituræ, ubi  
recepta sunt, (recipi a. non præter rem posse videntur) intel-  
ligenda est, ut feudũ post mortẽ demũ alienatoris eorumque  
qui gradu proximiores sunt, ad agnatos devolvi debeat, arg.  
l. ult. C. de V. S. l. 57. §. ult. ff. ad Sc. Treb. Adeoque ejusmodi agnatis  
simultaneè investitis jus in feudo prius acquisitum esse  
non potuit, quàm iis, qui gradu eos antecedunt, per mor-  
tem remotis. Quomodo igitur ante venditorem ejusque li-  
beros jus revocandi feudum ab iis exerceri poterit? vid.  
c. 1. 2. F. 39. add. Hartm. Pistor. p. 2. quest. 6. n. 58. seqq. C. E.  
48. §. de aber/it. C. 49. §. nach Absterben/ &c.

§. XV.

Si vero consensus domini non fuit impetratus, sed  
saltim simultaneè investorum, interest, num omnes si-  
multaneè investiti consenserint, num verò minus. Ibi  
omninò jus suum per expressum consensum amiserunt,  
l. cum quadam. 26. C. de administr. tut. l. ult. C. de remiss. pign. l.  
quidam ex parte. 12. ff. de evict. Carpz. P. 2. C. 4. D. 7.  
Secus tamen est, si ad emtionem requisiti tantum tacue-  
rint, Id. P. 2. C. 49. D. 6. Hic vero illi, qui non consen-  
serunt,



ferunt, admittendi sunt ad feudi revocationem, & qui-  
 dem duplici respectu, 1. enim illi vivente alienatore,  
 solutō prius pretiō, possunt emtionem revocare, quia illi-  
 cita, id est sine consensu domini celebrata est. De jure  
 filiorum hac in parte præ agnatis vide Schulz. c. X. n. 99.  
 Quod quidem intra anni spatium fieri debet, *Ord. Torg.*  
 §. So viel erstlich ic. ibi gegen Erstattung des außgeleg-  
 ten Kauffgeldes innerhalb Jahresfrist wiederumb an  
 sich zu bringen. Quamvis illud tempus præscriptionis  
 annalis citatione interrumpi possit, *Carpz. P. 2. C. 7. D. 7.*  
 Annus autem intelligitur civilis, non vero Saxonicus, quia  
 notum est, quod augmentum illud sex septimanarum &  
 trium dierum non nisi in regularibus & decretivis, hoc est  
 jure Sax. adinventis, præscriptionibus locum habeat; jam  
 vero hæc præscriptio annalis jure civili (quod temporum  
 determinationem non injuriâ sibi vindicavit) usitata fuit, ut  
 elucet ex *Gail, 2. Obs. 19. Petr. Theod. in Coll. crim. Diss. 10.*  
*tom. 7. lit. d.* Cui adjectus annus & dies planè est inco-  
 gnitus, *Finckelth. in Tr. de jur. patron. C. IV. n. 100. circa*  
*fin. Carpz. P. 2. C. 32. D. 4. (2.)* revocare possunt feudum mor-  
 tuō alienatore sine pretii refusione intra triginta annorum  
 spatiū, quando successionis via illis aperta est, ex verb. ult. d.  
 §. So viel oder aber wan nach Absterben des alienatoris die  
 Lehnsfolge an ihn kombt innerhalb 30. Jahren ohne Ent-  
 geld von dem Besitzer revociren und wieder fordern  
 möge/ *it. c. 49. d. 1. Plura de his vid. in illustri tract.*  
*Generos. Dn. V. L. von Seckendorff/ Patroni mei co-*  
*lendissimi, von dem deutschen Fürstenstat/ part. III. re-*  
*gul. 4. p. m. 293.*

§. XVI.

Finis emtionis venditionis feudi est utilitas &  
 commodum Vasalli, quia scil. is meliori modō pecuniâ  
 uti

uti,quam feudo potest, si forsan non est paterfamil. bonus, vel ob alias circumstantias Feudum diutius possidere detrectat, v. gr. Si dominus eum sine justa causa odio persequitur, vel si plus, quam æquum est, ab eò efflagitat, atque extorquere vult, vel etiam impedimentum struit in libertate conscientia atq; exercitio religionis, ad quam nemo cogi debet, quia fides semper spontanea esse debet, & quæ sunt alia, ubi omninò melius Vasallus venditione sibi consulit, feudum ad alium transferendo, quam si in ejusmodi molestiis perseveret. Undè omninò rectè finem nostri contractus utilitatem vasalli esse asseruimus.

§. XVII.

Effectum quod concernit, varius is esse solet, & quidem 1. quod, quando contractus perfectus est, ab eo recedi invitò alterò nequeat. *l. ratus 7. C. de rescind. vend.* Ejusmodi enim contractus tantum utriusque dissensu irritus fit, *l. 35. ff. de R. J.* Itaque emtor pretium dare cogitur venditori, hoc est dominium ejus in eum transferre *l. ult. de cond. causa dat.* eumque pecunia dominum facere, *l. 1. de rer. punt. l. 7. C. d. act. emt.* Venditor contra rem tradere emtori, & transferre in eum vacuum possessionem, *l. 2. d. leg. 3. l. 8. C. de act. emt.* Dicitur autem contractus duplici respectu perfectus, aut statim consensu de re atque pretio expresso, aut, ubi partibus inscriptis eum celebrare placuerit, postquã in eam redactus est vid. Wesenb. *tit. de contr. emt. n. 9.* 2. Quod emtione venditione perfectã (Ejusmodi autem quando sit, modo dictum est) periculum sit emtoris, de quo vid. Carpzov. *P. 2. C. 26. D. 20.* & Dn. Struv. *Exercit. 23. §. 95.* 3. Quod venditor emtori teneatur de evictione. Ubi tamen ad duo attendendum est. (1) num quis ignorans, an sciens feudi qualitatem, rem feudalem emerit. (2) an feu-

an feudi alienatio illicitè, an licitè facta sit. Si igno-  
rans aliquis rem feudalem emit, venditor ejusque here-  
des de evictione sine differentiâ obligantur, *e. un. 2. f. 55.*  
add. Carpz. *ad p. 2. C. 49.* licet de evictione præstanda  
nihil sit expressum, *l. 66. in pr. ff. de. contrab. emt.* sive ven-  
ditor conditionem feudi scivit, sive ignoravit, Hartm.  
Pist. *l. 2. quest. 10.* Differentia tamen est in eò, quod in il-  
licità feudi alienatione ne pretium quidem retineri possit,  
sed emtori actione ex emto restitui debeat, licet, ne de e-  
victione agi debeat, fuerit conventum. Rosenthal *de feud.*  
*c. 9. membr. 1. Concl. 1. n. 3.* uti & eo casu, quo dominus emto-  
rem in feudo investivit. Tunc enim emtor feudum habet  
tantum beneficio domini. In licitâ v. alienatione est secus  
Quod si verò quis sciens conditionem rei feudalis emit, sine  
differentia inter emtionem licitam atq; illicitam statuen-  
dum est, venditorem de evictione feudi non teneri, vid.  
Hartm. Pist. *cit. loc. n. 3. seqq.* Damnum enim quod emtor  
suâ culpâ tunc sentit, sibi ipsi imputandum habet. In li-  
citâ tamen emtor stipulatione de evictione sibi prospicere  
**Zorg. Ausschreiben/tit. Welcher gestalt die Agnaten/post**  
**medium. §. Wenn aber nun & domini consensu ad**  
venditionem prærequisito, pretium pro eo datum, non qui-  
dem ab agnato, feudum ad se devolutum revocante, sed  
benè tamen à vendentis heredibus repetere potest, Eo  
autem neglectò pretium domino *l. fisco cedit.* Aufertur n.  
tanquam ab indignis. Conf. Carpz. *cit. loc. Def. 10. & seqq.*  
§. XVIII.

4. Præcipuè inter effectus actio censeri debet, quæ  
ex hoc contractu descendit. Ea est duplex: emti &  
venditi. Utraque est actio personalis, rei persecutoria,  
perpetua, bonæ fidei, & illa quidem datur emtori ejusq;  
heredi,

heredi, adversus venditorem ejusq; heredem, ad ea  
consequenda, quæ venditorem illi præstare oportet,  
*l. 11. ff. h.* In ea autem seqq. inprimis notanda veniunt,  
(1) ut emtor pretium solverit, vel obtulerit, vel alio  
modo de eo fides sit habita, aliàs exceptione pretii non  
soluti repelli poterit, *l. 13. §. 8. de A. E.* Emtor namqve  
nummos venditoris facere tenetur, *l. 11. §. 2. eod. tit. l. 7. C. h.*  
quia pecuniam non aliter ad usum nostrum adhibere licet,  
quam si dominium illius habeamus. Consistit enim e-  
jus usus in abusu, *§. 2. Inst. de usufr.* (2) Quod pretio so-  
luto emtori vacua possessio feudi venditi sit danda, &  
quidem quando obligationi omni ex parte satisfacien-  
dum est, simpliciter talis, id est, ab omni alia, tam civili, quam  
naturali possessione vacua præstanda est: Quando autem  
solum dominium, vel usucapiendi conditio transferri  
debet, secundum quid tantum eam vacuum esse, sufficit,  
add. Franzk, *de act. emt. in Comm. Pandect. n. 77. seqq.* (3) quod  
jure Sax. non solum traditio in re immobili requiratur,  
verum etiam judicialis resignatio domini, vid. *Decis. nov.*  
*Elect. LXI.* Alienator enim sive Venditor abdicere debet  
possessionem, daß er die Lehen am Hause oder Grund  
aufflasse. Emtor verò eam agnoscere, daß er selber  
wiederumb von dem Lehn Herrn zu Lehn empfangen  
gegen Entrichtung gebührend Lehngeldes. Dn. Phi-  
lipp. *ad h. Decis. Obs. n. 5.* ibique allegat. (4.) Requiritur,  
ut res tradatur talis, qualis vendita. (5.) ut hoc  
debito loco atq; tempore justo fiat. Deniq; (6.) ut  
venditor dolum & culpam etiam levem præstet, vid. Dn.  
Struv. *Exerc. XXIII. §. 109. & seqq.* Dn. Strauch. *differt alleg.*  
*§. 17.* atqve Dn. Hahn. *ad Wesenb.*



§. XIX,

Actio venditi autem datur venditori contra emto-  
rem, ut pretium unà cum usuris post moram & sumtus, in  
rem utiliter factos, præstet, Dn. Strauch. *Diff. XV. §. 16.* Re-  
quiritur autem (1.) ut venditor rem tradat, quia nec li-  
beratur, interesse præstando, quod expressè probatur ex  
*l. 25. §. 1. & 55. de contr. emt. §. 2. I. de emt. vend.* Dn. Strauch.  
*Diff. XV. §. 6.* Nam quæcunq; obligatio non solum factum  
in se continet, verùm etiam dationem, quâ dominium  
transferre tenetur venditor, in eâ præstando interesse non  
simpliciter liberamur. Vid. *Wesemb. ad tit. de Act. emt. vend.*  
atq; ad eum Dn. Præses *in dictatis*, item *Moller. & Carpz.*  
*ad P. 2. C. 11. D. 15.* Et quidem (2.) cum effectu, ne evin-  
catur, *l. 66. de contr. emt. l. 11. §. 2. & §. 8. ff. de act. emt.* atq; cum  
omni emolumento, uti supra diximus, Dn. Strauch. d. l.  
Nam, qui alicui rem vendit, non tantum de corpore, sed  
etiam iis, quæ illi accedunt, cogitasse præsumitur. Sic arce  
districtâ tormenta & machinæ emtoris sunt, quia ejus pars  
sive accessio habentur.

§. XX.

Novimus, quod agnati alienationem feudi revoca-  
re possint duplici respectu, aut refuso pretio & vivente  
alienatore intra annum, aut intra 30. annos sine refu-  
sione pretii. Modus igitur ostendendus venit, sive ipsa  
actio, quâ aliquis ad hoc agere atq; obtinere potest. Inten-  
tanda itaq; propterea est actio revocatoria, quæ nihil aliud  
est, quàm feudi, sine consensu agnatorum alienati, vindi-  
catio, contra quemvis possessorem ad id, ut feudum cum  
omni causa restituatur, instituenda, *2.F. 3. §. rei au: em. 2.F. 26.*  
*§. Domino vero proprietatem feudi.* *Klock. p. m. conf. 6. num. 111.*  
Dn. Struv. *Syntag. Jur. Feud. C. XIII. §. 17.* Probandum au-

C

tem

tem in ea est ante omnia ab actore: 1. quod ex linea primi ac-  
quirendis descenderit 2. *F. 50.* Feudumq; 2. ad ipsum perti-  
neat, *c. un. §. citius 2. F. 25.* Proximitas vero consideratur non  
tam respectu temporis alienationis, quam potius revocatio-  
nis, quod specialiter hinc est tenendum. Hinc est, ut quis tem-  
pore alienationis nondum, sed postea demum natus, aut  
tempore Revocationis tantum in vivis existens, nihilomi-  
nus admittatur, vid. Berlich. *p. 2. Concl. 57. n. 46. & 47.* Et illa  
quidem proximitas per Genealogias, vulgò **durch die Stam-  
bäume,** Uti elegans responsum de hac extat ap. Dn. Struv.  
*in Synt. Jur. Feud. C. XIII. in fin. & modos similes probari solet.*  
§. XXI.

Verum hoc jus retractus non semper locum invenit, sed  
cessat, quando aliquis feudum titulò lucrativò, v. gr. dona-  
tionis ad se transtulit. Idem quoq; de permutatione ju-  
diciū esto. vid. *cap. 1. §. d. etiam res. 2. F. 3.* Rosenthal.  
*de feud. cap. 99. d. 90. n. 4. seqq.* Hartm. Pistor. *p. 2. quest. 12.*  
*n. 14. seqq.* Schrad. *de feud. p. 8. cap. 3. n. 4.* Ratio hujus as-  
serti ea dari solet, quod jura feudalia, revocationem feudo-  
rum agnatis concedentia, semper mentionem simul faciant  
redemptionis pretii, adeoq; tantum de venditione accipi pos-  
sint, *l. fin. C. de prad. decurial. sine decr. non alien. libr. 10.* Jura  
enim feudalia strictè sunt accipienda atq; intelligenda,  
Dd. *ad c. 1. 2. F. 2.* ut taceam, alias quoq; ordinariè jus re-  
tractus vi propriæ suæ naturæ in causis tantum onerosis,  
non lucrativis, locum invenire, uti hoc ex Constitut. Fri-  
derici apparet, *§. F. 12. 13. & 15.* quas Cujacii industriæ in ac-  
ceptis referimus. Atq; eò jure, teste experientiâ, etiam-  
num utimur. Tantum.

S. D. G.

Non

**N**on Genus, at Genius; Clarus  
non Ortus, at Artes;

Non Fors, sed Virtus nobilitare  
qveunt.

Sat bene qvod calles, Juvenum  
Scitissime BEUSTI,

Qvi Genus ingenio sic geminare  
studes.

Maeste Tuis igitur nifu virtute-  
qve tali!

Pergito; dupliciter nobilitatus  
eris.

Generoso Domino Respondenti Amico suo  
colendo, affectus testandi gratiâ  
apposuit

**P R Æ S E S.**

C 2

Ad



Ad Generosum Dn. Respon-  
dentem, Consalinum atqve Amicum  
meum dilectissimum.

**I**ndue mente Patrem BEUSTI,  
dignissima proles,  
Alter & ut Phoenix è pulvere  
crescere avito

Incipe, qvem mundus post se-  
cula tarda loqvetur.

Virtutem partam iuvat exten-  
diffe decoris

Aufibus, & mentis merita accu-  
mulare parentum,

Ne qvæsitus honor vel in uno  
palmite stirpis

Vivere



Vivere defistat. Themida ap-  
properare videmus  
Atqꝫ parare novos plausus his  
nisibus addo  
Ne quoqꝫ: succedant nonhi si-  
ne fruge labores  
Et sua mox capiant, votum e-  
sto! præmia honoris!

D. P. Ammann.

---

A Monsieur de Beust l' auteur  
de ces theses.

Monsieur

Je ne scaurois être muet, au bruit des acclamations d' une  
J'allegresse si publique, il faut que je joigne ma voix à  
celle des autres, pour publier avec eux nostre commun  
contentement, touchant la Vertu & la force de Vostre es-  
prit,

C 3

prit,



prit, que Vous faites paroître en mettant au public des theses tres doctes, & digne de la cognoissance parfaite, que Vous vous avés acquisée par la grandeur de Vostre diligence. Et encore que je suis des derniers à Vous feliciter, je Vous puis asseurer que j'ay été des premiers, à témoigner le sentiment d'une joye si extreme. Certes il ne s'y peut rien adjouster, ausi procede - il de l'amitié, que je Vous ay vouïée, qui est fort peu commune, puisqve Vostre merite en est l'objet. Jusqv' à present, Monsieur, j'ay me senti sensiblement touché de mon impatience & inquietude, de n' avoir l' occasion, de m' acquitter de mon devoir ; mais presentement je Vous puis montrer, que si Vous seavés l' art d' obliger de bonne grace de tout le monde, je n' ignore par celuy, de m' en revancher fort à propos, en Vous felicitant presentement Vostre preuve tres dorte, que Vous donnés publiquement avec plus d' éclat, & en priant le Tout - puisant, que, comme Vous êtes au comble de la doctrine & de la vertu, Vous arriviés sans attente à celuy de la dignité, je Vous supplie de croire, qv' en toutes autres rencontres je m'y porteray avec tant de passion, que Vous serez contraint de confesser, que je suis veritablement,

Lipzig ce 12. de Januer,  
l' anné 1672.

Monsieur

*Vostre tres humble & tres obligé  
Serviteur*

Tobie Thiery de Bourckersrode.

Qvid



**Q**uid prodest, Tritavi | clypeos ostendere pictos,  
Si non Successor Nobilitate viget?  
Ipse sed exæquet patritum stemma decoris,  
Antiquæ quò sit stella corusca domûs.  
Nititur hoc titulo Generosus BEUSTIUS apto,  
Clarius illustrans, seq; suumq; genus;  
Dum magno plausu Juris jam pulpita scandit  
Ut Jenæ, summo Præsede sub Tiliis.  
Hinc Tibi Lipsiæ Musæ lætè atq; Salanæ  
Clamant; Det summus prospera quæq; DEUS!

*Hæc paucula Generoso Dn. à Beust Commensali atq;  
contubernali suo honoratissimo adjicere  
animitus voluit*

Paulus Weidlich/J. U. Stud.

**E**T genus & proavos & fortia facta Parentum  
Non est exiguum posse referre decus.  
Major ab ingenio, BEUSTI, tibi gloria surgit,  
Gloria, non Patribus debita, Chare, Tuis.  
Afferit hanc propriam tibi Disceptatio laudem,  
Nobile sic decori est, nobilitasse Genus.

*Ita Amico suo honoratissimo  
gratulabatur*

DIETERICH Schicke/Equ. Misn.

Qvos

**Q** Vos decorat Virtus, Heroi pectoris altrix,  
Non celebri nixi gente, latere solent.  
BEUSTIUS, antiquo prognatus stemmate, dictum,  
Exemplô egregiè comprobat ecce! suo.

*Hisce intimo suo amico officia offerre  
voluit & debuit*

Johannes Fridericus à Biesenroth/  
Eqves Misnicus.



Leipzig, Diss., 1672 (1)


TA-OL


32.1+28



107







B.I.G.

Farbkarte #13

1672, 12  
14

oribus allu-  
ous,

ONE

TIONE

DI,

SIDE

demiaæ Rectore

FRANCISCO

ANO,  
uridicæ Assessore,

respondebit

ERICUS von Beust/  
hur.

or.

O. R. M DC LXXII.

S I Æ  
NIS GEORGE

